

cessario postuletur, ut viri docti catholici in suis cum scriptio-
nibus tum disputationibus limites modestiae ac leges caritatis
christianæ sollicite servent, cum systemata examinant aut im-
pugnant ab Apostolica Sede nequaquam damnata, quaeque in
conspectu ipsius Pontificis retinentur atque usurpantur. Quam
quidem in rem mentis oculis observari oporteret, quae Bene-
dictus XIV ipsis librorum censoribus praescripsit in celebri
Constitutione, ubi inter cetera sapientissime statuta haec habet :
“ Ecclesiae sanctae dogmata et communem Catholicorum doc-
trinam quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum
Pontificum constitutionibus et orthodoxorum Patrum atque
Doctorum consensu continetur, unice prae oculi habeant, hoc
de caetero cogitantes, *non paucas esse opiniones, quae uni scholae,
instituto aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus sine ullo
fidei aut religionis detrimento ab aliis catholicis viris reiiciuntur,
atque impugnantur, oppositaeque defenduntur, sciente ac permit-
tente Apostolica Sede, quae unamquamque huiusmodi opinionem in
suo probabilitatis gradu relinquit.*

His, quae voluntate ac iussu Sanctissimi Patris tota epistola
percepisti, anxiiis interrogationibus eruditi viri, qui eas proposuit
et aliorum quoque dubiis plene satisfactum, ac praesertim illud
effectum esse confido, ut disceptationes non apud vos quidem,
uti dixi, sed inter alios quosdam subortae iustis finibus coercean-
tur, nec quis amplius Pontificiis actis abutatur, nominatim vero
litteris a Sanctitate Sua ad Doctorem Travaglini conscriptis,
quibus, ceu liquet, contra mentem et consilium scribentis per-
peram quidam usi sunt.

Pontificio demum perfunctus mandato, hanc ego datam
opportunitatem libenter amplector ut sinceram existimationem
meam denuo tibi profitear qua sum ex animo.

Tui, Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Addictissimus famulus

WLADIMIRUS CZACKI

S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis
Extraordinariis praepositae SECRETARIUS.

Romæ, die 5 Junii 1877.